Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2075

Quelle:
Copyright:



*nos et malos, homines bonos et malos pertractat. Sextus liber de principiis depauperantibus quo ad deum angelos et homines bonos ac malos pertractat, qualis erat saluatoris nostri paupertas, et apostolorum ac discipulorum ipsius et fratrum minorum et aliorum religiosorum communem vitam ac monasticam profitentium ostendens. Septimus liber contrarietates famosas et alias magis occultas inter decretales dominorum summorum pontificum fel. rec. Nicholai III. et Johannis XXII super paupertatis christi et apostolorum ipsius materia, que regule fratrum minorum adscribitur ab eisdem certis traditis documentis absoluit, et sic operi consummationem imponit.* Libris singulis praemittuntur *Capitum* lemmata. Inscriptio primi miniata est: *Incipit liber Ricardi archiepiscopi ardmachani ybernie primatis de pauperie saluatoris.* Initium. *Johannes. Quia circa rerum propter hominem creatarum inferius in hoc mundo dominium, proprietatem, possessionem, ius vtendi* &c. Finis totius Operis: *totum renuens quod contristat, totum retinens quod delectat qui semper es benedictus in secula seculorum amen.* Codicem nostrum designat *Bibl. Gesneri.* Alia Exemplaria indicant *Oudinus*, *Fabricius*, et supracit. *Tannerus*, ex quo habemus, *Richardum* postliminio septem hisce Libris octavum adjecisse hoc initio: *Quia cum VII. libellos de pauperie Salvatoris composui, de mendicitate tractare non erat necessarium mihi visum; quoniam tamen in VII. libro de abusu privilegiorum a fratribus pertractavi, non ad plenum repugnantiam inter observantiam privilegiorum fratribus concessorum, et mendicitatis spontaneae tunc adverti* &c. Ingratos hos *Richardi* pro seculari Clero stantis labores Mendicantium Familiis fuisse, nullo negotio quivis videt. Sed fortassis ingratior, qui sequitur. Est enim additus Codici nostro *Libellus* chartaceus ejusdem aevi per duas columnas scriptus *Folior.* 13. hoc titulo:

*Incipiunt propositiones et articuli reuerendissimi in christo patris Rychardi Primatis ybernie per ipsum Dominum reuerendum edite ad bonorem deo et gloriosissime matris eius marie nec non toti clero ac populo vniuerso per tocius orbis climata disperso contra ordines mendicantes cuiuscunque status ac conditionis existant et hec predicauit coram domino papa in consistorio et cardinalibus ac prelatis Anno domini M°. CCC°. LVII. die VIII. mensis nouembris* &c. Initium: *Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. Job. VII. capitulo. Pater sanctissime in principio mei sermonis protestor quod non intendo aliquid asserere aut temere affirmare quod fidei obuiet christiane ac doctrine katholice, et quod non est intentionis mee destructionem seu cassationem ordinum mendicantium approbatorum ab ecclesia aut a summis pontificibus confirmatorum expetere aut suadere.* &c.

Opuscu-